

**05**  
**A**  
**176**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-613241-p0002-6

DFG

67

I. N. J.  
EX  
ANTHROPOLOGIA  
*De*  
**PRINCIPIIS**  
**NOBISCUM NATIS,**

*In Electorali ad Albim Academia  
Publicam Disputationem instituent*

PRÆSES

**M. ESAIAS VICCIUS,**

Uratislaviensis.

*ET RESPONDENS*

**JOHANNES FR IDELIUS**

Sempronio-Hungarus.

*Ad diem Septemb. 25. Anni M DC LXI.*

*Horis antemeridianis.*

*In Auditorio minori.*



WITTENBERGÆ  
Litteris MATTHÆI HENCKELII  
ANNO M. DC. LXI.

Mons. Gals

62

三  
一  
二

三

# ALBICOCCONITIA

1

# CHILOE ISLANDS



LIBRARY  
THE  
MUSEUM

05 APR 86

DIRETTO DA GEMMA HOLL


11.1.56. 11 inches. 22 March 1932. with Mr.

# THE HISTORY OF THE CHURCH OF ENGLAND

19

卷之三

1600-1610 1610-1620 1620-1630



## I.



Vob felix atque faustum esse jubeat  
Principium sine Principio, Gloriosus in cœlo  
Deus ! De Principiis nobiscum natis dum a-  
gere animum induximus, rem arduam vari-  
isque hominum judiciis & opinionibus ob-  
noxiam aggressi sumus. Si enim ulla ex phi-  
losophicarum quæstionum numero in scri-  
ptis eruditorum reperitur, in qua decidenda in varias trahuntur  
partes Viri, eruditione & multijugâ rerum prudentiâ clarissimi,  
certè hæc ipsa ita comparata est, ut reliquis ferè omnibus hac in  
parte præferenda sit. Ne autem in recensendis multorum sententiis  
oleum perdamus ac operam ; triplicem modò illam, quæ vulgo de-  
notitiis nobiscum natis circumfertur, sententiam, altiori mentis in-  
dagine contemplabimur, & veritati recteque sentientium calculo  
vicinorem nostram faciemus.

II. Prima verò Platonis esse statuitur, sentientis, omnium ho-  
minum animas ab utero materno omni scientiarum genere reple-  
tas ob peccata in corpora detrudi, ubi cognitio omnium rerum il-  
lis concreata, materiæ caligine opprimatur, & alto quasi somno  
sepeliatur, donec phantasmatibus sensuum beneficio formati,  
iterum excitata fuerit, nosq; omnium illorum primitus concreato-  
rum reminiscamur ; ut ita nostra, quam in scholis hodiè acquirere  
videmur cognitio, nihil aliud sit, quam nuda reminiscencia eorum,  
quæ primitus in animo habuimus. Hanc ipsius Platonis mentem  
fuisse, ex ejus Menone, Phœdro L. 10. de Republ. aliisque locis abun-  
dè constat : quemadmodum & de ejus discipulis Alcino, Porphy-  
rio, Macrobio, Plotino, afferentibus, animæ in corpus descen-  
denti poculum Lethes propinari, unde dehinc oblivio omnium  
rerum oriatur, juvari autem per species in phantasia expressas, quas  
discere sit recordari & reminiscendo cognoscere. Idem Pythag-  
oram Augustinus L. 12. de Trinit. c. 15. & Rabbinos quosdam afferuit  
se, Conimbricenses L. 2. de An. c. 1. qu. 3. art. 2. p. 84. demonstrant.

A

III. Ve-

III. Verum licet haec sententia à divino, ut communiter futatur, Platone, originem suam trahere debeat, falsa tamen sine dubio est, idque duas propter causas; partim, quia ut verum præsupponit, animam ante corpus creatam, actu cognovisse ea, quæ post rationis usu cognoscit, sicque eam ex unitione cum materia in deteriorem statum esse translatam; partim, quia naturæ reminiscentiæ prout accuratiores Philosophi eam nobis descriptam dedere prorsus reclamat, cum reminiscientia sit rei antea cognitæ manca & per illationem facta apprehensio, definiente ita Celeberrimo Sperling. in Anthropol. p. 201. Ubi requirit, ut reminiscendo apprehendamus res antea cognitas; at nemo cognoscens hodiè animadvertisit, se aliquando ejusdem rei cognitionem in animo habuisse, quod tamen necessarium omnino esset, si verè reminisci deberet. Cognitâ sic Platonis mente frustra quidam conantur nostram cum reminiscientia Platonica confundere sententiam; nam haec omnes omnium rerum notitias à nostra anima in corporis carcerem conjecta aestimavit, & licet actu possideantur, exuscitari tamen ab objectis censuit; nos verò notitias illas eosque non extendimus. Deinde Platonis reminiscientia oblivionem infert, qualem tamen de principiis nostris simpliciter negamus.

IV. Alii è diametro huic se opponunt, intellectum tabulæ alicui nudæ comparantes, cui nihil inscriptum sit, omnia verò inscribi possint. In qua opinione Aristotelem fuisse communiter dicitur, qui sententiæ Platonis Praeceptoris sui contradicens in contrarium errorem prolapsus videtur, & hominem nullarum rerum cognitionem secum afferre in mundum statuit. Verba ipsius fatis clara sunt, quæ habet Lib. 3. de animali hist. c. 4. Δυνάμει πώς ἐσὶ τὰ νοητὰ τὰς. αἱλλ' ἐντελεχείᾳ γένεν, πενταῦ μηνὶ νοεῖ. δειδύτως, ὥστε εἰ γεγαματέιω ὡς μηδὲν υπάρχει τὸντελεχείᾳ γεγεγαμένον, ὥστε σὺ Φαίνει σῆμα τὰς. Nos quidem non fugit, quam variè ejus mens quoad hoc caput explicetur, & quam multi hodiè, qui ab ejus ore non aliter quam infantes ab uberibus maternis dependent, de Aristotele excusando omnem curam, defensionem denique omnem suscipiant, asserantve, quod non negarit principia nobiscum nata, & habituales notitias, sed duntaxat actualem aliarum rerum contemplationem & inscriptionem, cuius respectu animam tabulæ ratiæ similem comparasse dicunt; item quod loquatur de intellectu

tantum patiente, & quæ alia à Themistio & aliis adducuntur. Verum tanti momenti hæc non sunt, ut credamus Ipsum ab ea, cuius vulgo accusatur opinione alienum fuisse: tam clara enim verba ipsius sunt, ut vix radio solis clariora effici possent. Manet igitur, quod hæc Philosophi sententia fuerit; quicquid deinde sit, etiamsi aliis in locis quicquam humani passus sibi forte contradixerit, de quo tamen in præsenti litigare nobis non est propositum.

V. Restat tertia opinio, quæ mediâ, id est, regiâ viâ incedit, statuitque, intellectum neq; omnium omnino rerum cognitione primus fuisse imbutum; neq; etiam instar tabulæ nudæ se habere, sed quorundam tantum principiorum notitiam ipsi in primo puncto conceptionis à Parentibus ingenerari, quam deinde ex utero materno in lucem hanc homo afferat, ac provectioni ætate uti compertum habeat. Cui sententiæ, quia præ reliquis ad veritatem proximè accedit, nec non fundamentis, tūm ex natura tūm scriptura petitis solidissimis nititur, etiam nos calculum nostrum adjicimus, eandemque in præsenti dissertatione uberioris ventilandam suscepimus.

VI. Prius verò quād ad ejus confirmationem nostra se convertat tractatio, invata aliqua ~~prædicta~~ ipsius concernentia reliquis præmittere, ut adeò ritè formato controversiæ statu, adversariorum ~~annimorum~~ eò felicius effugere & declinare queamus.

VII. Est autem Principium aliud essendi aliud cognoscendi. Essendi, à quo aliquid esse suum habet ut sit, sive ~~qd~~ esse det per generationem, creationem, vel alio modo; sive intrinsecè illud constitutum, seu conservetur: ad tria enim hæc se extendit principium essendi, ad essentiam rei vel producendam, vel constituendam vel conservandam. Sic quatuor causæ, efficiens, materia, forma, finis; hominis, canis, equi &c. principia essendi sunt. Item Deus ipse ratione productionis & conservationis universæ hujus machinæ essendi principium dici potest. Cognoscendi seu notificandi principia sunt, ex quibus tanquam notioribus aliud innotescit. Dicuntur rationes inferendi à priori, quia sunt aliquid prius in cognitione, unde dehinc aliis cognitio dependet.

IX. Ubi tamen rursus observandum est, hæc esse vel incompleta vel complexa. Incomplexa sunt ipsæ res ad cognitionem facientes sive à priori sive à posteriori. A priori, quando à causis ad ef-

fecta progredior, juxta illud Philosophorum: Per quæ quid constituitur, per ea etiam cognoscitur. Constituitur intrinsecè homo per animam rationalem & corpus organicum, & per ea principia etiam accuratè cognoscitur. Anima est principium essendi & cognoscendi risibilitatis; materia quantitatis. Fiunt igitur sic principia effendi etiam cognoscendi, neq; inter hæc incomplexa cognoscendi, & effendi realis aliqua intercedit distinctio: sed distinguuntur tantum in modo præcisionis & formaliter, siquidem principium essendi formaliter non est principium cognoscendi, quæ formalis oppositio ad divisionis fundamentum sufficit. A posteriori principium cognoscendi petitur, quando ab effectis ad causam ascendimus idq; sensuum beneficio. Nam tria sunt momenta naturæ; primum posse, alterum posse, tertium operari. Potentiæ naturales ut essentiæ, actus & habitus suos antecedunt, si non tempore, tamen natura. Potentiæ naturâ antecedunt habitus innatos; tempore vero acquisitos. Ita ex occidente vim veneni, ex fumo ignem colligimus, ex humiditate aquam, ex attractione ferri magnetem, ex rugitu leonem, ex latratu canem. Et ipse gentium Apostolus hoc modo de gentilibus ait, quod invisibilia illius ex creatione mundi pervidere potuerint in hoc, ut siut inexcusabiles Rom. i. v. 10.

IX. Complexa sunt integræ propositiones & axiomata per se nota, quæ in aliarum rerum cognitionem nos deducunt & ad confirmanda dogmata adhibentur. Talia vel sunt universalia vel particularia. Universalia sunt partim speculativa, partim practica. Speculativa, quæ fons & origo omnium disciplinarum theoreticarum, sunt: Impossibile est idem simul esse & non esse: Totum est majus suâ parte: Quodlibet est vel non est &c. Practica, quæ fons & scaturigo omnium disciplinarum practicarum, quæ informant mores & actiones hominum, ut discernantur honesta ab inhonestis, æqua ab iniquis, ut voluntas actionesq; nostræ cum voluntate DEI congruant. Hujusmodi sunt: Deus est colendus: Suum cuique est tribendum: Parentes sunt honorandi &c. Dicuntur aliæ principia nobiscum nata, à natura matre æquissima ingenerata, imò ab ipso naturæ authore DEO glorioso mentibus implantata. Egregiè de his loquitur B. Meisn. Phil. sobr. p. I. p: m. 597. *sunt hæc principia non prescripta sed inscripta, non tradita sed nobiscum nata, quæ foris præbent semina scientiarum & artium, intus sunt officinæ conscientiæ. Particularia sunt:*

Na-

Natura non deficit in necessariis : Natura progreditur à non esse ad esse. Causæ sociæ stant pro una &c. Hæc particularia principia ut pro varietate disciplinarum variant, ita sæpè etiam falsa veris miscentur. Nostræ contemplationis in præsenti sunt non principia effendi, sed cognoscendi, eaque non incomplexa sed complexa & hæc non particularia sed universalia.

X. Veniunt hæc principia apud alios nomine *κοινῶν ἐννοιῶν* notitiarnm innatarum, communium notionum, *πεάτων αἰχῶν* principiorum primorum, *πεάτων Φύσεως* principiorum naturæ, *πεάτων Δημόλων* primarum animi notionum, sive primorum animi conceptuum, indubiorum axiomatum & pronunciatorum. De his inter Philosophos & in hac disputatione etiam à nobis quæritur, an omnibus ingenerentur, atque ex utero materno in hanc lucem afferantur, ita quidem ut sine Præceptore, sine labore & sudore insint, & verè nobiscum nata seu naturalia principia dici possint?

XI. Sed quia Adversarii in acceptione termini naturalis variè ludunt, & incautiorum oculis glaucoma objicere satagunt, ex fana philosophia multiplex τὸ naturalis significatio evolvenda erit. Primùm igitur naturalia sive à natura esse dicuntur congenita, quæ eadem, cum eo quod naturam in se habet, primordia obtinent: hoc modo naturā igni inest, volare sursum, gravi tendere deorsum. Secundò à natura esse dicuntur non congenita, suā sponte tamen successu temporis in capacibus & naturā destinatis subjectis orta, sic viro barba est naturalis, avi volatus. Tertiò nec congenita nec sponte orta, sed studiō & labore tanquam mediis naturalibus acquisita. Sic virtus moralis, prout theologicis virtutibus gratia Spiritus sancti infusis, opponitur, naturalis esse dicitur, quia ejus potentia est à natura, actus verò non item. Ultimò denique à natura esse dicitur, ad quod sumus magis proclives, quo pacto sanitas est à natura. Principia nostra cum à nobis naturalia dicuntur, in prima maximeque propriâ significatione terminum naturalis capimus, quatenus laborem & informationem Præceptorum, aut ipsum etiam sensuum ministerium, tanquam ordinaria habituum acquisitorum media simpliciter excludit. Hoc sensu & juxta hanc primam significationem etiam supernaturalia naturalia dici possunt, uti erant justitia & sanctitas originalis in primis nostris Parentibus.

XII. Neq; prætermittenda τὸς naturalis ambiguitas, quam  
Phil. sebr. part. B. Meisnerus commemorat. Duo enim, inquit, notat. 1. οὐσια πνοὴ<sup>1</sup>  
i. sc̄t. 3. c. 5. q. 11. Φύσεως vel ἐπόμενον τῆς Φύσει, quod vel naturam constituit, vel imme-  
diatè sequitur, quo sensu Timplerus & Pontificii rebellionem virium  
naturalem affirmant, nos negamus, 2. οὐέτι Φύτον, quod natura quidem annascitur, non tamen ex natura oritur. Hoc sensu rebellio virium  
& peccatum originale sèpè nominatur naturale, non quòd sit ex natura,  
sed quia hæret in natura & propagatur cum natura. Eodem in sen-  
su nobis sunt naturales, notitiæ insitæ, sicut justitia primo homini  
originalis & naturalis fuit.

XIII. Porrò naturalis notitia vel opponitur revelatae seu  
illi quæ ex speciali revelatione aut gratijsa Spiritus sancti illumi-  
natione nobis obtingit, atque sic omnes omnino habitus acquisitos  
complectitur, qui natutali intellectus sagacitate acquiruntur, &  
hoc modo naturales dici possunt: vel etiam opponitur acquisitæ,  
quo pacto notat unicè notitiam rei alicujus à prima infantia cum  
ipsa anima in mundum illatam. In posteriori significatu principia  
nobis notitiæ naturales dicuntur.

XIV. Ubi tamen non intelligimus ipsam δύναμιν & facul-  
tatem naturalem cognoscendi res sibi oblatas, quamprimum ratio  
in homine sese exerere potest, sicut homo habet potentiam addi-  
scendi artem canendi, scribendi &c. sed habitualem cognitionem  
in prima non secunda qualitatis specie collocandam, ita quidem  
ut menti nostræ habitualiter, quamprimum illa in mundo existit,  
insit inscripta quædam ροή μαζά, Deum esse, neminem lædendum  
esse, suum cuique tribuendum esse. Nam aliud est ipse intellectus  
sive facultas κρίτικη intellectui essentialis & propria: aliud sunt il-  
læ notitiæ intellectui inhærentes, quæ ut formæ exemplares à sub-  
jecto suo cui ante omnem animi cogitationem insunt, realiter di-  
stinguuntur. Nam quod inscribitur non est illud ipsum cui inscri-  
bitur, quia aliquid sibi ipsi inscribi non potest: notitiæ verò sunt in-  
scriptæ cordibus humanis, quare non sunt ipsum subjectum, sed ha-  
bitus potius alii superstructi. Errat igitur Timplerus, cum principia  
hæc describit per facultatem & habilitatem hoc modo: *homini in-  
nata quidem est facultas & habilitas ad comparandam cognitionem  
principiorum, non autem ipsa cognitio L.3. Metaph. c. i. p. 9. & L.4. cap. 2.*  
Cui assensum præbet Keckermannus disput. 23. cursus philos. qu. 13.

Et

Et scholastici communiter quos Nominates vocant, quorum princeps fuit Guilielmus Occam Anglus, Scotti discipulus, ita citante Magnifico atque Amplissimo Dn. D. Meisnero, Hospite & Patrono meo ætatem suspiciendo, disputat. 2da de cognit. Dei naturali p. 38.

Accuratissimè hos refutat Sperlingius noster *vñ c̄v āyiois* quando sic loquitur : *Ut imago divina non in d̄vāp̄ei sed J̄es̄ei, non in potentia sed actu consistebat : ita quoq; reliquiae non in potestate ac virtute aliquid acquirendi, sed in re, in habitu, in ipsis notitiis consistunt. Reliquiae aliquid quod reliquum est de integro notant. Ut reliquiae sanctorum, reliquiae exercit⁹, reliquiae cœnæ. Ubi entis potentialia neutiquā substituenda.*

*Anthropol.*

*p. 193.*

XV. Ex his patebit opinor sermonem nobis esse non de notitiis quibusdam acquisitis, quæ interdum etiam naturales certo respectu dicuntur, & specierum intelligibilium beneficio ab intellectu agente interveniente sensuum opera comparantur, ubi intellectus primum, antequam scientiam aliquam acquisivit in potentia; deinde post acquisitionem antequam juxta habitum operatur in habitu; & dehinc ubi jam contemplatur in actu esse dicitur : Sed de insitis, quæ animæ in primo conceptionis punto ingenerantur.

Quare gravissimè omnes illi errant, qui ex requisitis & conditione acquisitorum habituum ad evertendas notitias naturales colligunt h. m: Intelligentem oportet speculari phantasmat: Omnis habitus presupponit actus: Q. habitus ratione & more acquiruntur. It: si intellectus quat. cognoscitivus, specierum intelligibilem ab agente fabricatarum receptivus est, sequitur nullas dari species connatas, adeoque nullam notitiam connatam &c. Frustra hæc omnia adducuntur & prorsus nihil ad rhombum sunt, cum à natura acquisitæ cognitionis ad destruenda principia nobiscum nata argumentari sit elumbis consequentia.

XVI. Sed non tantum inter ipsam cognitionem distinguendum est, verum etiam inter modum cognoscendi, qui pro diversitate principii cognoscentis non unus idemque est. Duplex datur cognoscendi principium aliud remotum, aliud proximum. Illud sunt ipsi sensus deferentes objecta scibilia: hoc aliud est productionis ut abstractio; aliud apprehensionis ut cōceptus. Nam objecta movent sensus qui rem singularem apprehendunt, eamq; ad intellectum deferunt, ubi purificatur mediante abstractione & repræsentatur conceptus operâ ut evadat scibilis. Quemadmodum jam hoc duplex est

&

& diversæ indolis, diversi officii: ita & modus cognoscendi inde resultans diverso modo se habet. Sensus tantum cognoscit per species acquisitas, non innatas; nam visui, auditui nihil inest à natura. Intellectus verò tum per connatas tum etiam acquisitas cognoscit. Corruit ergo major illius argumenti: Ut se habet sensus ad sentiendum, ita & intellectus ad intelligendum. Sed sensus non intelligit per species ingenitas & impressas. E. nec intellectus. Non sequitur: auditui & visui Protoplastorum nihil inerat primitus, ergo etiam nihil intellectui? Ergo non habuere sapientiam & sanctitatem concretam? *αντων.* Quod si verò de modo acquirendi loquatur major, & non simpliciter intelligatur, quidem concedi poterit, sed ita contra nos non militat.

XVII. Eadem hæc principia, easdem notitias omnibus omnino hominibus, cuius ætatis, status aut conditionis sint, à prima statim origine inesse statuimus. Et quod adultos quidem attinet ac proiectioris ætatis homines, de illis non adeò magna sub judice lis est. Nam omnibus mens ipsa dictitat, esse aliquem Deum, scelerum vindicem acerrimum & bonorum remuneratorem benignissimum. Omnes cordi suo quasi inscriptum habent illud Homeri: *ἔχει Θεός ἐνδικον ὄμμα.* Omnes norānt quòd pessima perpetrata scelera sequatur Nemesis à tergo. Licet itaq; quidam omnes pietatis limites ita supègressi sint, ut vitæ suæ actionibus omnes omnino notitias negare videantur, & in ignorantiae tenebris, veluti muscae in rimis tempore hyberno, délitescant; affectata tamen illorum malitia est, igniculi supprimuntur ad tempus, ne in apertas erumpere possint flamas, non prorsus ex animi sede eripiuntur. Rationem hujus e-

*In Loc. Theol. p. 155.* eruditè dat Phil. Melanc. inquiens: *Propter labem originis, accessit quædam caligo, & cor habet contrarios impetus discrimini honestorum & turpium, ideo homines non tam constanter assentiuntur his notitiis. Manet autem notitia legum sed assensus est infirmus propter contumaciam cordis. Non ita fulgent notitiae, manent tamen, sed cor repugnat, & incurvant dubitationes, propter quædam quæcum notitiis illis pugnare videntur.* Neque est ut aliquis ad acquisitas hīc confugere velit notitias. Nam tales cruciatus internos ob admissa scelera etiam illi sentiunt, qui nullas acquisiverunt sibi notitias ex informatione Præceptorum, qui susq; deq; habuerunt disciplinam, qui pedibus calcarunt leges cunctas. *Qui omnia per omnem vitam contempsere, ob unum*

&amp;



& alterum principiū macerantur & anguntur adeò, ut vitæ præferat miserrimum mortis genus, dicit supra laudatus B. Sperl. Anthr. p. 184.

XVIII. Circa infantes major subesse videtur difficultas: intellectus enim in ejusmodi infantulis recens natis non utitur notitiis talibus; nulla deprehendim⁹ harum notiarum vestigia; non tanguntur conscientiæ stimulis; ignorant quomodo curvum à recto, dextrum à sinistro discernendum sit. Verùm salva res est, dantur utiq; etiam in infantulis recens natis illa principia; possident notitias illas non usurpant, neq; usurpare possunt, quia carent rationis usu, non ratione; carent applicatione notiarum ad facta sua, non ipsis notitiis. Conscientia verò non ad ipsam rationem sed usum illius pertinet, ad intellectum practicum, quia est judicium de faciendis aut omittendis: hoc ergò quia carent infantes propter defectum ætatis, & humiditatem cerebri, quæ impedit, quod pueri non possint rationari; (nam anima sicca anima prudens,) ita docente Dn. Danhaw. in coll. Ψυχ. p. 209, quid mirum est signa ejusmodi externa notiarum in illis à nobis non conspici? Quapropter notatu dignissima est hac in parte trita Philosophorum regula. A negatione actus secundi ad negationem actus primi N.V.C. Non sequitur: Pueri infantes non utuntur principiis nobiscum natis, E. non insunt. Etiam dormientes non utuntur scientia, ergone nō inest? Ebrii nō judicio utūtur, ergone ipsis non competit? Catuli non vident ante nonum diem, ergone sunt cœci? Multi datâ operâ & destinato consilio, ex libidine contradicendi, ut tantum habeant quod vituperent, veritati contradicunt, & nihilo minus verum à falso discernere non ignorant.

XIX. Præterea falsum est omnium notiarum usu carere infantes; sanè quibusdam utuntur quamvis non omnibus. Utuntur illis quas ad εἴρην non εἴρην concessit. Magis sollicita est de illis quæ ad necessitatem, quam quæ ad felicitatem faciunt. Sic novit modo nat⁹ infans labra potius quam pedes mamimis matrum adhibenda esse. Datur ergo ibi & κῆποις & χρῆποις, licet in aliis tantum detur κῆποις. Uſus tamen veniet venientibus annis.

XX. Cæterum & hoc silentio involvendum non est, habitus non debere confundi cum ipsis vocibus: possunt in mente hæc rere species habit⁹ sine verbis, quippe quæ successu temporis ratiocinando demum acquiruntur. Hinc explodenda est collectio: In mente infantis dantur habitus. E. etiam verba & terminos habent accuratè cognitos?

B

Dan-

Datur utiq; numinis divini cognitio in omnium infantum animis, et si nōmen quo insigniatur illud, ignorent. Sciunt infantes Deum esse colendum, Parentes esse honorandos, non tamen quid sit Deus, quid Parentes distinctè norunt, neq; nosse possunt, cum terminorum cognitio illos lateat, ut adeò oppido falsum sit quorūdam assertum: notitiam incōplexorum non posse nisi mediātib⁹ sensib⁹ obtineri.

XXI. Patet itaq; per naturalem infantum notitiam non intelligendam esse actualem, qua simul ac in lucem editur homo, omnia ista quæ de Deo aliisq; rebus naturā cognosci possunt, aētu cognoscit, qualem infantibus non adscribimus. Nam ante usum rationis mens hominis neq; terminos simplices, neq; ne propositiones apprehendit, ideoque veritatem aut falsitatem illarum propositionum non agnoscit. Et experientia ipsa dicitat, infantes non compōnere, neq; conceptus de rebus rationales formare, sed quamprimum ratio se exerit, & ope sensuum simplices terminos apprehendunt, fabricare demum in animo conceptus, eos componere & veritatem aut falsitatem cognoscere addiscunt: sed habitualem, qua quædam principia instar habitus intellectui absq; præcedente sensuali cognitione superaddita esse dicuntur, neque sine terminorum cognitione in actum secundum deduci possunt. Per se quidem nota sunt illa principia antequā adhibetur judicium sensuum; ab objectis tamen sit excitatio illorum & confirmatio: Quatuor plura esse quām dūo, scimus naturā. Per sensus sit tantū applicatio & per voces explicatio. Habitum habemus ante usum: Objectis accendentibus usus sequitur: verbis autem habituum ac conceptuum fit expressio.

XXII. Postquam igitur hactenū satis evidenter exposuimus, quænam principia hīc intelligantur, quomodo naturalia nobis dicantur, & quibus etiam subjectis ea inesse statuamus, residuum nihil esse videtur, quām ut certis solidisq; fundamentis eorundem in mentibus hominum existentiam demonstremus. Probamus autem ea

I. à conscientiæ vigilantis testimonio, cuius fundamentum sunt principia illa nobiscum nata. Unde fluit tale argumentum: Q. sentiunt in se judicium intellectus practici juxta quod facienda & omitenda dijudicantur, illi per naturam habent in se ejusmodi principiorum cognitionem. Sed omnes homines &c. E. Major propositio probatur, quia judicium intellectus practici pro fundamento habet talia principia, quibus utitur vel ad accusandum ob perpetrata scelera

ra atrocias; vel ad excusandum ob benefacta. Minor constat, quia omnes sentiunt ejusmodi judicium in se: Omnes docti & quæ ac indocti, nobiles & ignobiles, mares & fœminæ, senes & juvenes conscientiæ stimulis anguntur. Omnes deprehendunt in se tribunal, ubi judex proponit facienda, dictitat omittenda. Estq; ipse testis, qui defactis testatur non tantum externis, sed omnibus quæ homo suscepit seu opere externo, sive corde sive ore. Judicat quoq; formando syllogismū practicum, cuius major desumpta ex infallibili principio pratico; post hæc de se subsumit & tandem concludit. Neque per diem aut annum hoc officio tantum fungitur, sed per totum vitæ tempus: quemadmodum enim anima est expers mortalitatis: ita & hic animæ quasi calamus & notarius; & licet ad tempus quiescere videatur & dormitur, quasi evigilat tamen rursus, & vel accusat unde terrores & angores animi; vel excusat unde gaudiū & lætitia cordis sequitur. Unde enim queso alias isti terrores sunt? cur intimis sic anguntur sensib⁹ homines ob unū aut alterū flagitium commissum, ut vitæ etiā præferant miserrimum mortis genus? Certè isti angores sunt vel ad ipsum hominem, præcisā horum principiorum existentiā, consideratum referendi, aut ad alios, aut ad illa principia menti implantata. Sed prius locum non habet, quia homo ex malitia naturali vitia sua prætextu aliquo excusare, iisq; mantellum quærere perpetuò satagit. Neque alterum, quia angores illi etiam tum sentiuntur, cum scelera quam maximè ab aliorum cognitione aliena sunt. Ut taceam multos nullo externo principio compulsos sibi ipsi manus inferre violentas, vel à Magistratu ultrò scelerum ulciscendorum vindictam petere. Restant ergò hæc principia naturalia, ob quæ ita anguntur & torquentur fontes, ut vitam ipsam quoque sibi maximè acerbam ducent. *Pro exemplo sit Nero matricida cui subinde aliquis interior judex theta prefixit; at omne judicium est ex lege: quæ verò lex Neronem damnavit, seipso judice & carnifice? An Senecæ disciplina? An lex judaica & forensis? an lex duodecim tabularum, aut lex servia? quâcautum est, si patrem puer verberaverit, ast ille plorasset puer divis sacer est. Sed non 1. quomodo enim curasset ethicam Senecæ, qui ipsum authorem mori jussit, non 2. quia ignoravit, vel certè susq; deg̃ habuit, non 3. quia hoc putavit se exemptum, si libeat omnia licere. Relinquitur itaq; aliam aliquam subesse notitiam, altis radibus à nativitate infixam: hæc sopia quondam flagitiis vigilavit & prodidit Tyrannum, flagellavit parricidam, & scelle-*

*stum hominem noctu diuque vexavit*, accuratè hæc explicat Celeberr.  
Danh. in Coll. Psych. p. 206.

2. ab experientiæ infallibilis documento, quia hæc testis est locupletissimus omnia illa principia animis hominum à prima nativitate insculpta esse. Omnes populi ὄντες οὐαδόν afferunt, esse aliquod numen ab ipsis orbis terrarum incolis omni observantia & animi submissione devenerandum: *nullaenim gens tam barbara quæ non anticipationem quandam de Deo habeat*, ut testatur Cicero L. I. de nat. Deorum. *Et in hac re grecum cum barbaro, mediterraneum cum Insulano, sapientem cum stulto consentire* Maximus Tyrius dissert. I. ait. Idem de reliquis principiis tam theoreticis tam practicis sine omni dubio verum est. Sciunt omnes ingenita naturæ vi differentiam totius & partis, hancq; illo minus esse. Infanti duo poma ostendito: recipiet unum & flagitabit alterum. Intelligunt cuncti, quod effectus aliquā præsupponat causam, vel secundam à qua effectus oritur immediatè, vel primam sive primum rerum motorem, à quo omnia dependent. Omnes tam plebeji & rudes, quam docti & prudentes exactè norunt impossibile esse ut simul idem sit & non sit. Imo omnes solo rationis lumine dictante novimus, esse discrimē honestorum & turpium, vitii & virtutis: Parentes esse honorandos: neminem lædendum: suum cuiq; tribuendum &c. Et quod notandum sedulò est, istæ notitia non inæqualiter hominibus insunt, ut unus magis eas alter minus cognoscat; sed omnimodam hīc deprehendimus æqualitatem in omnibus hominibus, quod indicio nobis est eo rectius & accuratius easdem dici posse concreatas; nam quod arte quod studio acquiritur, & non à natura originem trahit, æquale apud omnes non est, ut sunt acquisiti habitus, qui pro subjectorum ratione variant, ita ut verè dici possit de iisdem, esse tot sententias, quot capita. Huc pertinet

L.3.poët. illud Scaligeri: *Nobiscum simul nascuntur cognitiones quædam, quæ omnibus æquè eadem, ab omnibus æquè item probantur. Cujusmodi sunt propositiones illæ, quæ sunt quasi principia quædam cōtemplationum, quarum è numero eæ, quæ cum ipso sensu conjungunt intellectum, ac tanquam unum efficiunt, qualis: De quacunq; re alterutrum verè dici potest: Est, non est, & illa: Omne totum est majus suâ parte. Horum intellectuum finis est scientiam constituere.*

3. à simili exemplo, videlicet à notitia naturali ipsis etiā brutis insita. Inde à minori ad majus sic argumentamur: Si brutis congenerata

ratæ sunt quædam notitiæ, multò magis homini inerunt. Sed verum est prius. E. Antecedens constat, quia videm⁹ pullos timere milvum, non aliâ ratione, quam quod habeat cognitam milvi speciem. Quare natus nuper hœdus, quærerit Scaliger, ad ubera capræ mox ad frondes: catellus ad canis mammae, postea ad carnes sese conferunt? Cur non hic ad illam, & ad illas: non ad hanc & ad has ille? Certè non nisi ab ipsa rerum matre natura hæc intimè imbiberunt. Sic eodem modo quærere possumus: quis docuit leporem timere canem & non cervū cum deformior sit? Quis cervū admonuit, plus valere levitate quam viribus? Quis leonē ad usum unguium instituit, equum calcium &c? Provida mater natura formis illorum talia inseruit. Quemadmodū ergò, afferente Scaligero Exerc. 307. f. 22. pullus connatam secum habet speciem accipitris, quæ in summa ejus potestate, quam æstimativam vocant, sita repræsentat singulares milvos omnes, per quam pullus vix dum ovo egressus, pertimescit accipitrem, non ardeam: & quemadmodum infantulus innatam habet speciem suæ conservacionis; per quam vix dum editus vult fugere; ideoq; labra movet non pedes: sic menti hominis impressit natura ipsa, quasdam notiones tanquam seminaria omnis cognitionis, quibus ceu adminiculis quibusdam mens adjuvatur, & ceu radiis quibusdam dirigitur ad verum cognoscendum & à falso citius discernendum. Cum autem à notitia brutis per naturam insita argumentamur ad nostras notitias, nō putandum est, nos aliquam identitatē inter illas statuere; minimè: quia nostræ imaginis divinæ reliquiae sunt, quæ brutis non conveniunt. Habet quidem homo principia quædam cum brutis communia: habet tamen insuper aliqua etiam propria. Sufficit exemplo insitas notitias nos probare sive propriæ sive communes sint.

4. ex Scripturæ sacræ principio. Nam primarium & cæteris omnib⁹ præferendum argumentū nobis monstrant Pandectarū sacrarū Interpretes ex Ep. Pauli ad Rom. ex qua duo maximi roboris fundamenta deduci posse, cōtendunt. Primū ex c. i. v. 18. 19. ubi ita loquitur Apost: *Gentiles veritatem in injustitia detinent: propterea quod id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit.* Hic singula verba accuratiōri mentis indagine examinanda esse monent Verbi divini Mystæ, Theologi. Nam per veritatem nihil aliud intelligunt, quam notitias naturales seu veros conceptus naturā notos, & ex principiis naturæ deductos, de Deo colendo & proximo di-

ligendo: has notitias gentiles detinere dicuntur, in iustitia, quādō  
neq; Deum colunt, neq; proximum diligunt, ut quidem faciendum  
fuisse ipsimet intelligunt; sed datis illis à Deo bonis ad proprias volū-  
tates & voluptates iustè abutūtur. Emphaticū hīc esse, notant, verbū  
**κατέχειν**, quod indicat eā esse veritatis vim, ut semper conetur emer-  
gere, sed tyrannica quadam vi & sævitie constringi & detineri ne c-  
rumpere possit: est ergo locutio à Tyrannis desumpta, qui contra jus  
fasq; innoxios premunt, vinculisq; & carcere tenent: ita impii in in-  
justitia quoq; & quodam quasi carcere vincitam tenent innoxiam ve-  
ritatem, illiq; vim faciunt, dum eam agnoscere quidem cogūtur, sed  
profiteri, audire & sequi nolunt. Deinde dicit Apost: τὸ γνῶσθαι τὸ θεός  
manifestum est in illis, ubi per γνῶσθαι nihil aliud intellectum vult,  
quam quod antea αλήθεια dixerat. Addit autem notanter manife-  
stum in iis, nō inter eos, hoc enim de ipsorum disputationibus & co-  
gnitione experimentali potuisset intelligi; sed in iis inquit, ut doceat  
quod non forinsecus ab objecto demum suscitante singula cognoscamus; verūm quod cordibus humanis illæ de Deo aliisq; rebus no-  
titię in prima creatione inscriptæ sint, quemadmodum infrā opus le-  
gis in cordibus scriptum esse ait c. 2. Rom. uti hæc omnia eruditè ex-  
plicat. B. Balduinus comment. in epist. Pauli ad Rom. p. 50. seqq. Et  
Rungius in disp. in Ep. ad Rom. c. 1. inquit: *Notitia juris naturæ ex du-  
plici est principio orta: partim enim naturā mentib⁹ hominum indita est,  
ut κοινῶς ἔργοια: partim rationis usu ex rerum creatarum contemplatione  
acquisita est.* De priori agit Apostolus v. 18. De posteriori verò in ψ. 20.  
Confer etiam B. Meisn. Phil. sobr. part. I. sect. 4. c. 19. qu. 1. p. 597.

XXIII. Alterum argumentum desumunt ex cap. 2. Ep. ad Rom.  
v. 15. ubi observatione dignissima sunt verba Apostoli, dicentis: *Cum  
enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt,  
ejusmodi legē non habentes sibiipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptū  
in cordib⁹ suis.* Notandum hīc ex mente Theol: Apost: per op⁹ legis intel-  
ligere notitias in mente reliquas, quæ morum disciplinæq; externæ  
sunt gubernatrices. Addit dehinc gentes facere naturaliter, ea quæ  
legis sunt, τὰ τὸν νόμον, non τὸν νόμον h. e. quædam honesta virtutum  
opera cum lege Dei & rectâ ratione congruentia, idq; τὸ Θύσει ex di-  
ctamine rectæ rationis. Unde fluunt argumenta: *Quicunque naturā  
h. e. ex dictamine rectæ rationis faciunt illa, quæ legis sunt, illis con-  
nata est aliqua virtutū & vitiorum cognitio.* Gentes hoc præstant. E.

Mi-

Minor certa est. Majorem probamus: aut enim habent hoc gentiles à lege  
præscripta, aut inscripta: non præscripta, quod probatur ex versu 14. ubi dicit,  
quod legem non habeant, scil. præscriptam. E, manet inscripta seu naturalis.  
Præterea cum opus legis dicitur inscriptum in cordibus eorum, Apóstolus vel  
intelligit inscriptionem νομικὴν seu legalem vel ὑπερφυσικὴν seu super-  
naturalē: aut Φυσικὴν naturalē. Sed non intelligit primam, quia lex mo-  
ralis non dicitur inscripta; sed præscripta: Imo si maximè dicatur inscripta  
non tamen inscripta est in tabulis cordis carneis, de qua tamen hoc loco agi-  
tur, sed in tabulis lapideis 2. Cor. 3. 2. Neque ὑπερφυσικὴ seu supernatura-  
lis intelligenda est, quia hæc gentilibus & non renatis non competit. Quia  
Jer. 31. v. 33. hanc legis suæ inscriptionem in corda nostra pro singulari gratia  
N. T. promittit Deus: hic autem Apostolo de ea quæ in corde gentilium non  
conversorum fiat, inscriptione sermo est, quam à speciali illa per revelatio-  
nem & institutionem supernaturalem facta, distingui oportet. Proinde relin-  
quitur inscriptio naturalis, quæ sit solius naturæ instinctu, ab ipsa nativitate,  
quæ dum gentibus competere dicitur, aliqua illis legis & legislatoris notitia  
evidenter attribuitur. Pluribus ex eodem loco idem probant Clariss. Dan-  
havv. in coll. Ψυχ. p. 20.; & ex eo Desideratiss. noster Sperling in Anthrop.  
p. 187. Dicimus igitur cum Philippo Mel: sententiam de notitiis nobiscum  
natis propter Paulum amplectimur, qui expressè inquit legem scriptam  
esse in cordibus hominum ubi de notitia loquitur, citante B. Sperling. jam  
laudato in tractat. de principiis nobis. nat. p. 33. Sed ut intra cancellos debitos  
nos contineamus argumenta hæc ex superiori principio deducta, Scripturæ  
sacræ Antistitibus, uberioris discutienda relinquimus; visuri interim paucis,  
quid contra hæc principia nobiscum nata in proscenium afferre soleant, qui  
existentiam eorum à prima infantia dari inficiantur.

XXIV. Perpetuo in ore habent πολυθρεύληγεν illud Philosopho-  
rum: Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Si igitur harum noti-  
tiarum objecta non fuerunt in sensu, neque esse poterunt in intellectu, & per  
consequens nulla dantur principia nobiscum nata. Ast jamdudum à Philoso-  
phiæ Magistris rectè notatum est, maximam illam non absolutè veram esse,  
quia multa intelligentur, sine tamen sensuum ope, aut speciebus sensibus ab-  
stractis, v. gr. Datur cognitio Dei, quæ tamen non opus habet, ut per species  
sensibiles & intelligibiles producatur; sed uno ac simplici gaudet intuitu.  
Idem de angelorum cognitione mutua, qua seipso cognoscunt verum est:  
cum enim ipsa entia immaterialia sint, & tamen species intelligibiles sensi-  
bus abstractæ ideo fabricentur, ut objectum materiatum cum intellectu u-  
niant, quivis videt eosdem opus non habere speciebus intelligibilibus, ut per  
has coram intellectu represententur. Dicimus igitur axioma illud loqui tan-  
tum de habitibus acquisitis, qui sensuum ministerio acquiruntur, ut hodiè ha-  
bitus linguarum, scientiarum in scholis, non verò de connatis: videndus namq;  
est sensus Aristotelis, qui in axiomate illo se tantum opponit Platoni, omnem  
scientiarum ac disciplinarum naturam homini ingenitam esse afferenti. Huic  
rectè contradixit, nihil scilicet ex numero illarum scientiarum esse in intelle-  
ctu, quin prius in sensu fuerit. Deinde necessariū non est, ut omnia in intelle-

ctu



Qua sint directè per se, primò & speciem propriam, uti hoc modo omne in intellectu est, quod qualitatibus sensibilibus praeditum est, ut objecta sensuum, color, sonus, sapor &c. Potest enim aliquid in intellectu etiam esse indirectè, & r, per partes, ut chimæra, de qua versus: Ante Leo, retroq; Draco, mediumq; capella. 2. per effectum ut Deus gloriosus, cum à visibilibus hujus mundi ad Deum crearem adscendo Rom. 1. 17. 3. per oppositum, sic horrorem belli cognoscimus ex suavitate & amoenitate pacis, quo hoc tempore fruimur. 4. per simile: Ovum enim Vratislaviense cognosco per ovum VVittebergense, quat. hoc illi simile est, & per illam similitudinem, utrumq; in sensu esse dicitur. 5 per fundamenta sic cognosco equū, canē, leonem, hominē per singularia tanquam fundamenta, per hunc equū, hunc canem, hunc leonē, hunc hominem &c.

XXV. Objectionis etiam loco urgent responsum aliquos ancillæ, quæ à ministro illius ecclesie publicè interrogata, quot sint Dii? respondit in lingua vernacula: Drey: Vett Gott / Daniel Gott / Hans Gott / intelligens tres fratres ejus oppidi cives, quibus nomen familie Gott erat. Ex hoc ancillæ responso infallibiliter sequi putant, nullas notitias nobis connatas esse; alias utique tam ineptè ad quæ situm hæc ancilla non respondisset. Sed citius ex spongia arida aquam, quam ex hoc responso argumentum contra nos extorqueri potest; nam primò hoc exemplum non ferit controversiæ statum: nos enim quærimus de existentia, ille verò quærebat de numero. Confunduntur itaq; diversæ quæstiones, quæstio an sit, cum quæstione quid sit, vel quot sint? Deinde erat error de vocabulo, quia non quærebat an sit Deus; sed quot sint Dii. Tertiò idem argumentum esset contranotitiam Dei acquisitam, quia jam erat annorum XIV, ubi utique ex aspectu creaturarum Deum esse colligere potuisse: ut taceam denique argumentum hoc potius contra ipsos esse adversarios, quia concedunt hæc principia, in quantum prima ætate acquiruntur a nobis, non congenerantur. In hac verò ancilla ex mente ipsorum non conspiciebatur aliqua Dei cognitio. E. principiis ista neque quatenus à prima infantia succendentibus annis acquiruntur in hominibus inveniri poterunt?

XXVI. Tandem dicunt: Quicunque principia nobiscum nata defendunt, animam frusta societatem corporis affectare statuunt. Nos. Ergo. Minorem probant. Si enim anima intellectiva non species à sensibus accipit, sed aliunde, cur societatem corporis affectaret. Ad hoc argumentum respondemus minorem negando. Anima affectat corporis societatem propter totum compositum, ut perfectius quid, quam ipsa est, constituatur. Item propter operationes, quarum alias sine corpore exercere nequit. Reliqua argumenta, cum partim non magni momenti sint; parim etiam ex superioribus facilè solvi possint, ad publicam *σΥΝΔΗΤΙΟΝ* differimus, dicentes interim cum Angelis atq; Archangelis illi qui est Principium sine Principio:


GLORIA IN EXCELSIS DEO!



05 A 176

**ULB Halle**  
004 206 746

3




V017



# Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



J. J.  
X  
POLOGIA  
CIPPIIS  
M NATIS,  
*Albim Academia  
tionem instituent*  
SES  
VICCIUS,  
*vienensis.*  
ONDENS  
FRIDELIUS  
*Hungarus.*  
*Anni M DC LXI.*  
*meridianis.*  
*minori.*  
BERGÆ  
I HENCKELII  
DC. LXI.  
62  
Mons. Gall  
G